

conuertuntur et consolationem petunt, annunciet remissionem peccatorum iuxta dictum:
 „Quorumcunque remiseritis peccata remittuntur eis“, Ioh. 20.²⁰⁶

Est ne enumeratio delictorum omnium aut aliquorum
 apud ministros ecclesiae necessaria?

Nulla enumeratio delictorum necessaria est. Primum, quia nusquam extat praeceptum diu- 5
 num de enumeratione singulorum. Deinde, quia enumeratio omnium est impossibilis sicut
 scriptum est: „Delicta, qui intelligit?“²⁰⁷ Fit autem absolutio priuata ratione ministerij, non
 ratione iurisdictionis. Ideo cognitio delictorum arcanorum non est necessaria ministro euan-
 gelij, sed alia est absolutio in criminibus, quae distinguenda est a priuata absolute, vt
 alibi copiosius dicitur. 10

Est ne distincta remissio culpae a remissione
 poenae aeternae?

Non est distincta, sed remissio culpae [117:] prorsus eadem est, quae est 15
 remissio poenae aeternae iuxta dictum Esa. 45: „Ego quotidie deleo iniquitates tuas
 coram me et peccatorum tuorum non recordabor amplius.“²⁰⁸ et Esa. 1: „Si peccata vestra
 fuerint vt coccinum et vt vermiculus“²⁰⁹ etc.

Est ne distincta remissio culpae a remissione poenae
 temporalis in hac vita?

Est distincta. Vt Adam, Dauid accipiunt remissionem culpae et tamen simul 20
 subiiciuntur poenis in hac vita. Sed hae poenae nequaquam sunt compensati-
 ones aut merita pro poena aeterna vt finxerunt monachi, sed habent prorsus
 alias causas, quas omnes homines scire necesse est propter doctrinam et con-
 solationem.

²⁰⁶ Joh 20,23.

²⁰⁷ Ps 19,13.

²⁰⁸ Jes 43,25.

²⁰⁹ Jes 1,18.